

Differtt. miscell.
vol. 51. G. IX. 33



20 1686
1666
24

FELICITER!
DISPUTATIO POLITICA
DE
OLIGARCHIA,

Quam,
PRÆSIDE
PRÆEXIMIO, CLARISSIMO QVE
VIRO,

DN. M. JACOBO WÄCHTLERO
Amplis. Philosoph. Facult. Adjuncto
dignissimo, Fautore, Præceptore atq;
Ad sine suo plurimum honorando,

In Auditorio Majori,

ad diem VII. Februarii

Publica eruditorum disquisitioni submittit

AUCTOR & RESPONDENS,
ALBERTUS FRIDERICUS à Syborg!
Magdeburgensis.



Wittenberge, Typis Johannis Haken. 1666.

Hac



Faint, illegible text or markings on the aged, yellowish paper cover of the book.

Fragment of text from the adjacent page, showing a vertical column of characters, possibly a list or index.





JOVA JUVA!
DE OLIGARCHIA.

Thesis I.

Oligarchia non omittendum nomen est.

ἐκθεσις.



Ubet hoc ipsum *partim* consueti Methodus, *partim* ὀνοματολογίας multiplex usus, *partim* facilius dicendorum intellectus. Ideoque vocis hujus *Oligarchia* notetur (1) *παρωνυμία* seu *derivatio*. Descendit ἀπὸ τῶν ὀλίγος & ἀρχαία, quia, qui ibidem imperant, qui *subjectū Imperatorium*, publicique regiminis *principium* constituunt, nec *unus*, nec *omnes*; sed *pauci* tantum, seu ex civibus materialiter *quidam* sunt. Apud Platonem & Aristotelem dicuntur ὀλιγαρχεῖντες, hinc & ὀλιγαρχεῖν μὲν πόλεις, civitates: tali formā instructæ ac informatæ. (2) Ὀμωνυμία, seu *equivocatio*. Sumitur aliàs *Oligarchia* l. in *applicatione Pragmaticâ*, quomodo *partiales* Imperiorum Civitates dicuntur esse *formæ Oligarchicæ*, puræ vel mixtæ per *Analogiam*, non equidem *proportionis*, sed *attributionis*, id quod contra alios prolixè defendit Felwing. dissert. pol. p. 337. Vel in *abstractione Politicâ*, pro *integrâ & absolutâ* Republicâ *Oligarchicâ*: tumq; accipitur vel *generaliter*, vel *specialiter*, ut una eademq; vox loco *generis & speciei* stet, diverso tñ. sēsu & respectu. *Generaliter* sumitur vox *Oligarchias*, quatenus opponitur *Monarchiæ & Democratiæ*, à statu *recto & corrupto*

præscindens, & sic à nobis hoc loco; *specialiter*, quatenus *Aristocratia* opponitur, ac in statu quidem corruptio tantum. Ideoque vocatur *Oligarchia specialiter sic dicta*. (3) *Συνονομία*. Nullam ferè appellationem aliàs *Oligarchia* sortitur; quandoque tamen *ὀλιγοκρατία*, & Latinè *paucorum* dicitur *dominatus*.

Thesis. II.

Rectè definitur Oligarchia, Respublica simplex, in qua summa potestas est penes paucos, plures tamen uno, conjunctim & indivisim.

ἔκθεσις.

Perlustrato jam antea *definitio* seu *subjecto*, ventilandum se offert *predicatum*, seu ipsa *definitio*, constans *genere & differentiâ*. *Genus* (1) *remotum* est *Respublica*. Quæ ipsa vox, quum prædicetur (α) *affirmativè*, ob reipublicæ (1) *definitionem*: cõpetit n. *Oligarchiæ Reipublicæ Definitio*, ergò & *Definitum*. (2) ob reipublicæ *constitutionem & applicationem*: (Constituitur n. illa quoad *materiale*, ex societatibus tam simplicibus, ut nuptiali, herili & paternâ, quàm compositis, familiis & pagis; nec suo hæc omnia carent *formali*. Pulcherrimè enim secundum *Politicam prudentiam*, in *Oligarchiâ* quoque hæc omnia civiliter sunt *coordinata*. Posito autem *materiali*, & dato in eo *formali* cõstituitur res ipsa; undè *Oligarchiâ Rēp.* esse nõ facilè quisquã negare jure poterit.) (β) *quid-ditativè*, sive *in abstracto*, seu *in casu recto*, ut *Oligarchiæ* *essentiam*, confusè licet, *declaret*: & (γ) *latius & mediatè*, dum & *simplici & mixtæ Reipublicæ* *convenit*, rectè omninò *generis* *locum* obtinebit. (2) *proximum & adequatum genus* est *Respublica simplex*: nec enim datur alius *conceptus*, qui à *republica simplici* *Oligarchiam* *ulterius distingvat*. Dicitur autem *simplex* non *ratione* (1) *materiæ*; nam *Civitas* *omnis* *composita* *ex familiis & pagis*, est; nec (2) *extremorum*; nam *omnis reipublicæ*

blicæ ordo compositus ex imperantibus & obtemperantibus est; nec (3) ab *instrumentis*; nam sine omnibus ministris potestas summa exerceri non potest; nec (4) ab *exercitii modis*; nã & cujusvis Reipublicæ administratio multifariam temperari ad formæ alterius alicujus modum potest. Sed (5) ab *essentiâ suâ formâ, regiminis publici simplicitate*, quæ tùm ex simplici civilis obsequii relatione, tùm ex simplici Majestatis ad omnes subditos totius civitatis extensione, tùm ex principii, sive subiecti rectorii seu Imperatorii, indivisione censenda est. Ideoque *simplex* non opponitur hîc *composito*, nam sic Respublica omnis composita est; neq; *limitato*, cum & Respublica simplex possit esse impura seu limitata: sed *mixto*. *Differentia* sumitur ab *Objecto*, seu summa potestate; *subjecto*, seu *principio*, quod neque *unus*, neque *omnes*, sed *quidam tantum* seu *pauci* unitim, conjunctim ac indivisim sumti, particulariter: atque sic differt à *Monarchiâ* & *Democratiâ* nec non *Republicâ Mixtâ*, quæ de re prolixius in thesi tertiâ.

Thesis III.

Oligarchia differt à Monarchia & Democratiâ.

expositis.

Quod si probè quis naturam cujusvis consideraverit, facile harum Rerumpublicarum discrimen patebit. Quanquam enim *identitas quadam* sit concedenda, v. g. quoad prædicata *generalia*, ratione Reipublicæ *materialiter, formaliter, accidentaliter* cõsideratæ; falsumq; omninò sit, quòd docet HORNIQ, Oligarchiâ ac Democratiâ Remp. verâ non esse *pol. p. 113.* datur nihilominus *diversitas* quoq; insignis quoad prædicata *specialia*, & vel ex unico *summæ potestatis subjecto*, totius ordinis atque *regiminis civilis principio ac fundamento*, principaliter petenda. Ad id requiritur (1) *materialiter*, ut unâ plures *personæ sint*. Sic differt à *Monarchiâ*. Sicut enim in *Monarchiâ unum* saltem *suprema tenere scepra oportet*; ita in *Oligarchiâ*, *vi nominis*

A 3

ac

ac rei, plures necessariò debent esse imperantes. (2) *formaliter*, ut imperantes sint *pauci*, seu *quidam*, atque sic differt à *Democratiâ*. Quùm enim, ubi omnes imperant, etiam unò quidem plures sint, neq; tamen Oligarchia, sed potius Democratia: necessariò addendum, esse illic *subiectum imperans* σύνθετον quoddam ἐκ πολλῶν, non α. ἐξ ἀπάντων. Hinc (3) *formalissimè* requiritur, ut summam potestatem illi conjunctim ac indivisim habeant. *Imperatorium* n. *subiectum* seu Principale, in Oligarchia, non est ἀσύνθετον, seu *totum personale*, sicut in Monarchiâ; sed σύνθετον, seu totum quoddam *Collegiale*, per unionem plurium *civilem*, quâ unius quasi πολλῶν ποδὲς καὶ πολλῶν χεῖρες hominis locò, per *mutuum fœdus, pactumq; intrinsecū* coeunt plures in κοινῶνίαν τῆς ἐξουσίας, ut alter altero inconsultò, & extra illam συνθήκασιν acceptus, nec habeat *jus*, nec ejus *exercitium* suo solius arbitrio absolvere possit, de jure. Ex dictis itaque patet, *Oligarchiam* differre à *Reip. speciebus* reliquis, potissimum ratione *Subiecti Majestatici*; & consequenter, ratione *totius regiminis publici fundamentalis*, adeoq; specificè & essentialiter.

Theſis IV.

Oligarchica summa potestas non est penes unumquemq; Optimatum seorsim ac individualiter, sed penes omnes istos conjunctim & indivisim & collegialiter.

ἐκθεσις.

Hoc ipsum ex 'Ολιγαρχίας τὴν receptâ definitione, τὴν fundamentali constitutione, τὴν pragmaticâ gubernatione, τὴν ex prisca electione, τὴν ex reipublicæ in mixtam & simplicem distinctione, τὴν ex intrinsecâ cujusvis accidentis (ergò & majestatis) conditione patet. De (1) Expressè in definitione Oligarchias dicitur; apud unò plures, conjunctim & indivisim,

visim, esse potestatem. Quibus innuitur, quod hæc summa imperii potestas non sit penes unumquemq; nonnullorum in solidum, ita ut quilibet, quæ pro suo arbitrio velit, peragere possit; sed penes *omnes simul sumtos*, ita ut illi conjunctim, idem, quod Rex in regno, præstare valeant. Ad (2) Quia leges pactaq; fundamentalia necessariò id ipsum requirunt, adeoq; ut (3) id, quod unus vel alter absque totius Collegii consensu sanciverint, de jure pro infirmo & invalido prorsus habeatur. Ad (4) Cùm in primavâ electione ac constitutione Oligarchias, ita decretum confirmatumq; sit, ut in regimine publico, nemo, absq; totius Collegii jussu aliquid imperare conetur; utique non *sigillatim*, aut *individualiter* vel *divisim*, sed *conjunctim*, *collegialiter*, ac *indivisim*, in hoc Reipublicæ statu, procedendum. Ad (5) Quid opus fuisset distinctione Reipublicæ in *simplicem* & *mixtam*, si penes plures in *Oligarchia* quoque Summa potestas esse *divisim* posset? Ad (6) Absurdum quoq; foret, quando *unum numerò accidens* attribueretur pluribus subjectis *divisim* acceptis. Quatenus ergò conjunctim sumuntur ac *indivisim*, sub eo duntaxat statu, communem habent *potentiam*; communem ergò & *efficaciam*, etiamsi *principium quo*, seu instrumentale, in *exercitio*, respectu hujus vel illius *loci*, aut *juris*, unus esse ex illis possit: Quatenus verò dilabitur unus vel alter extra illam civilem *συνῆυσιν*, & ab eo *partitionato statu* in partes proprias deficit, aut ex *proprio* agere arbitriò vult, eatenus neque *δυναστεία* amplius particeps est, nec *ἐπικρασία*, nisi *de facto*, atq; *per accidens*. Quod ut ne fiat, rectè putat *Boxhornius*, resultare unionem illam ex *plurium inter se concordia*, quæ cùm *difficulter obtineri possit inter plures suo arbitrio judiciog; relictos*, ac *diversis proinde sententiis obnoxios*, ideoq; *excitanda*, ac *continen-da illa certis, ac non movenda legibus sit*, in omnia, quæ *summam imperij concernunt*, definitis: Pol. l. 2. c. 5. §. 4. p. 465.

Thesis V.

Oligarchia dividitur in Aristocratiam & Oligarchiam specialiter dictam.

ex fe.

ἐκ τῆς οὐσίας.

Divisio hæc non *essentialis*, sed *accidentalis*; non *specificativa*, sed *qualificativa*; nec in diversas *species*; sed in diversos duntaxat *status*; quia fundamentum non *essentialis*, sed *accidentalis* differentia est, ab ipsius populi, quatenus *Imperatorii subiecti*, qualitate desumpta. *Qualitatem* verò hoc loco non tā intelligimus *moralem* ac *Ethicam*, virtutem vel vitium, quæ ad *singulorum* privatam pertinent vitam, & in utrovis *Oligarchias* statu tam rectò, quàm corrupto, reperiuntur promiscuè; quã *civilem* ac *Politicam*, Imperatoriam bonitatem vel pravitatem, quæ ad *Optimum Principalem*, seu *Majestaticum* pertinet statum, & ex modo gubernandi seu administrandi resultat. Primariò n. divisio hæc apud Aristotelem 2. Pol. c. 7. à fine desumitur, qui in summæ potestatis *administratione* respicitur; quia Imperantes vel intendunt *finem* legitimum, legitimis *mediis*; vel non. Priori modò, rectum virtuosumque eorum regimen est; Posteriori modo corruptum ac vitiosum. *Recta* Oligarchia dicitur *Aristocratia*, quando scilicet summam potestatem habentes publicum bonum legitimè spectant; *corrupta* verò *Oligarchia specialiter sic dicta*, in qua summa potestas est penes paucos bonum privatum spectantes.

Thesis VI.

Aristocratia etiam ibi esse potest, ubi flagitiose imperant.

ἐκ τῆς οὐσίας.

Aristocratia appellationem sortita suam est ab imperii *Aristocratici subiecto* seu *principio*, imperantibus; qui ἀριστοὶ & *Optimates* vocantur, non tam ob *qualitatem moralem*, seu propter singulorum privatam virtutem, quatenus *boni* & ἀξιοπισταὶ *viri* sunt; quàm ob *qualitatem* ac ἐξοχὴν aliquam *civilem*, seu propter officii *collegialis* excellentissimam dignitatem; propter κοινὴν ἀξίαν & *κρείττον*, quod in sese ἀριστοί, ideoq; & *subiectum* suum ἀριστοί denominat. Hæc *civilis* virtus in *Optimatibus* illis *per sese*, *formaliter* & *constitutivè* requiritur; *moralis* verò

per

per accidens, materialiter & consummative. Optimates enim hic *ἀριστοὶ* dicuntur tales, non generaliter ac Ethicè, sed specialiter & Politicè, quatenus & ὀλιγαρχικῶν, & Monarchis, & Demarchis contradistinguntur: cujus verò contradistinctionis adæquatus character esse non potest *δυσκράτεια* illa ἡγεμονία; quippè quæ subditis quoque communis. Quanquam igitur seorsim spectati illi & quoad actiones quasdam domesticas flagitiosi sint; conjunctim tamen sumti & quoad actiones politicas, quoad statum civilem, possunt esse optimi, non ob imperium saltem; sed & propter exercitium. Nec enim ab Imperantibus privatâ vitâ ad publici regiminis qualitatem, à privatò statu ad publicum, valet consequentia.

Thesis VII.

Oligarchi quoque Tyranni vocantur.

ἐκ τούτου.

Oligarchi hoc loco non generaliter, ac præcisè ita dicti sunt, sed in sensu specialiori, restrictè, quatenus in administratione non tantùm absolutè suum commodum; sed etiam, quando primariò suam, secundariò subditorum salutem intendunt. Dn. D. Wendeler. l. 2. c. 12. Oligarchi verò tales Tyranni vocantur in plurali, materialiter, quia plures unâ personæ sunt: utut formaliter, ratione status & actus Oligarchici, non nisi unius Tyranni in sensu singulari personam præ se ferant. Porro notandum, vocari eos Tyrannos, vel titulo solo, seu occupatione, vel exercitio solo seu sola administratione, vel titulo & exercitio simul, ob illegitimam tùm acquisitionem, tùm administrationem: quales Pompeji Crassique, ac Caesaris; Lepidi atque Antonii ac Augusti Triumviratus. In secundo ac tertio modo quando Tyranni sunt, neque deponi, neque puniri jure à quoquam possunt, quia penes illos ipso actu summa potestas est, quæ superiorem in humanis habere minimè potest. Populi jus vel potestas, quam Grotius, Hobbes, Conzenius aliique asserunt, fictitium quid est, nec existentia ejus probari firmiter potest. In primo autem modo quando Tyranni sunt, potuisset iisdem

B

refi-

resisti, in *viâ occupationis*, cum summo imperiô adhuc inhiarent: at in *termino occupationis*, postquam adepti potestatem omnem vel summam sunt, resisti amplius violenter non potest; jamjam enim, populi *subjectione*, *tâcitate*, *electione*, facti sunt superiores.

Thesis VIII.

Præstat Aristocratiâ Oligarchiâ specialiter sic dicta, quæ propterea inter se differunt.

ex seors.

Aristocratiæ præstantia facile colligi potest ex eo, quod in ea *publicum*, in Oligarchiâ verò *privatum* dominantium bonum attenditur. Publicæ verò rei commodum ut ab imperantibus *primò* observetur, *administrationis* non tantum felicitas, sed civitatis quoque & regiminis *conservatio* efflagitat. Quare & Aristoteli *lib. 1. Pol. c. 10. Desicit paucorum*, inquit, *Status hic, quando in paucorum privatos usus, quæ publicæ sunt, invertuntur: sicut 30. Tyranni Atheniensibus imperati & Decemviri Romani non tantum malò titulò Dynastiâ* (sic vocat Aristoteles 4. Pol. c. 5.) *adierunt, sed & ea ad propria commoda abusi sunt.* Quemadmodum itaq; virtuosum à vitioso, rectum à corrupto differt, tum *definitivè*, tum *constitutivè*, tum *affectivè*, tum *effectivè*, tum *denominativè* &c. Sic & Aristocratiâ ab Oligarchiâ specialiter dicta. Differentia igitur harum peti præcipue potest (1) à *sine*, qui alius in Aristocratiâ, alius verò in Oligarchiâ. In hac enim ab imperantibus *privatum*, neglecto publico; in illâ *publicum* posthabitò *privatò* intenditur commodum. (2) à *Moderatione*; Aristocratiâ per Prudentiam & secundum leges: Oligarchiâ verò per astutiam & calliditatem, secundum affectus gubernatur. (3) à *Origine*: Aristocratiâ à *naturâ*, si non *obligante*, *svadente* tamen ac *impellente* oritur atque intenditur: Oligarchiâ verò ex *avaritiâ* & *hominum malitiâ* fit, per accidens. (4) à *Mensurâ*, seu *normâ*. Mensura enim Aristocratiæ, ad

ad quam omnes actiones civiles applicantur & conformantur, est *jus & recta ratio*, quæ semper ab Optimatibus, quatenus talibus, attenditur. Oligarchia verò nec *jus*, nec *rationem*; sed *solam libidinem* sequitur. (5) à *Duratione*. Aristocratia enim, cum virtute, tum morali, tum civili ceu fundamento nitatur, quatenus & quamdiu talis, omninò remotior à damnò & mutatione est, quàm Oligarchia, quæ ex Imperantium iniquitate utiq; maximam parit civitatis *inequalitatem*, fomitem omnium mutationum ac discordiarum, (6) à *Denominatione*: quia Aristocratia dicitur *Respublica recta, virtuosa & bona*; Oligarchia verò *mala, prolapsa, corrupta, vitiosa*. (7) à *Fundamento*. Fundamentum enim Aristocratia tum *proprium*, est *curatio salutis publicæ*, legitima & attenta: tum *commune*, virtutis *Ethicæ* studium: Oligarchias verò, divitiæ & avaritia conjuncta cum *vi & ferocitate* Oligarcharum. Videatur B. Dn. D. Jac. Martini lib. 2. c. 12. p. 531. & seqq.

Thesis IX.

Summa etiam Potestas existit in Oligarchia.

Hoc ipsum negat *Hornius*. Ideoq; ut satisfacere lectori queamus, probamus primùm thesin nostrã (1) ex *Reipublicæ* naturã atq; essentia. Dicente n. illò Pol. pag. 110. lin. 13. *Respublica summa potestate ac ratione moderatus ordo est*. Oligarchia autem, quòd vera *Reipublicæ species* sit, supra declaravimus. (2) quia Oligarchiæ competit *ordo*, cum *inordinata multitudo* non sit. lin. 19. Jã verò, dicente iterũ eodẽ p. cit. lin. 17. *ubi ordo, ibi omnes actiones civiles ab uno principiò summò diriguntur*. (3) *EX PARTIUM* coherentiã. *Integrum Reipublicæ corp9*, dicente ipsò, *duabus partibus constat, parente & regente*. *Ultraq; pars necessariò requiritur* p. 114. lin. 3. & 19. Oligarchia verò, ut supra dictum, *ἀναρχία* non est, sed *ἐπαρχία* seu *ὀλιγαρχία*. Ergò verè *Respublica*, ergò & ibi *regens ac parens*. Regentis verò subjecti *forma* *Majestas* est, seu *potestas summa*, & hujus *correlatum* *obsequium*. Nec (4) repugnat, *unum numerò accidens* (*Majestatem*)

jestatem) in pluribus esse subjectis posse, conjunctis tamen ac
connitis, sicut hoc loco per civilem quandam *κυβερνασιν* ac Ma-
jesticam *κυβερνασιν*. (5) Ex Proprietatum existentia. Est enim
penes Oligarchos, quatenus tales, imperium in Personas, ut
testantur *παρὰ*; in bona *Δομινium*, ut testantur *μυλτα*; regi-
men m. Universale, sicuti testantur *φεδρα & bella*: sed hæc quasi-
partes majestatis sunt, juxta *eund.* (6) Reperitur in Oligarchia
m. secundus Imperii actus, *Nomothesia*, belligeratio, contæde-
ratio, Magistratum institutio &c. Ergo & actus imperii pri-
mus adesse debet. (7) Ex receptâ tot *Politicoꝝ* sententiâ, à
qua temerè recedendum non est [8] ex *Magistratum inferiorum*
dependentia. Dantur in Oligarchia potestates *intermedia*
ac inferiores, tum togatæ, tum sagatæ: Dandum itaque *sum-*
um seu *τὸ κώλυον*, à quo dependeant cætera, aut dabitur *va-*
cuum aut *infinitum* civile. Ad probationes verò has excipi pot-
est (α) committere nos *fall. causse*: esse quidem in Oligarchiâ
& ordinem & publicum regimen, &c. non tamè à *Majestate* seu
summâ potestate; sed tantum ex *pactis* seu conventionibus.
Hornius Pol. p. 560. lin. 119. & seq. (β) Majesticos illos actus
tantum videri & adesse tantum *apparenter*, per analogiâ *pro-*
portionis, ex ingeniosâ civium solertiâ & æmulatione: Idem
l. c. p. 561. lin. 5, 16 seq. sed respondemus ad (α) committi (1) *per-*
principii, dum adhuc probandum sit, quòd Oligarchia o-
mnis originaliter à *popularibus pactis* conventionibusque depen-
deat. (2) *fall. causse*. Res enim cum rei modo confunditur. Pa-
cta seu *conventiones* illæ summæ potestatis *subjectum* constituunt,
electivè: ipsum verò *imperium*, regimen, ceterosque ju-
bentes & cogentes actus, non producunt, *effectivè*. Ad
(β) falsum est, quòd tantum *apparenter* & *equivocè*: ipsi
quippe *sensus*, ipsaque testatur *experientia*, vis & *coactio*,
de *reali* actuum istorum *existentia*, *caussa* & *efficacia*. Ex argu-
mentis verò contrariis, pauca in præsens, brevitas studio, af-
feremus. Inter alia objicitur (1) *Majestas* participantium nume-
rū detestatur, quia cōmunis pluribus esse nō potest. Idē p. 565. lin.
9. (2) Quia *Majestas*, cunctaq; ejus jura, simpliciter indivisibilia
ac inseparabilia. Ergo nec in subjecta plura dispescibilia p. 562
(3) quia

(3) quia Optimates Majestatem habentes, sunt plures Domini, ma-
jestate instructi, qui tñ. citra contradictionem & confusionem in
unã Republica esse non possunt, p. 565. lin. 6. (4) Ex quibuscunq;
nulli datũ imperiũ in cives, penes illos quoq; Majestas nõ est:
Ex Optimatibus & c. E. p. cit. lin. 16. & seq. Quod n. singulis deest,
m. deest universis. (5) Quia Optimates *equali* auctoritate guber-
naculo præsident. Jã verò inter *equales*, nulla *superioritas*, nulla
summitas p. cit. lin. 2. Verũ n. verò respondemus ad *Objectionẽ* (1)
Omninò summam potestatem inesse posse *pluribus*, non quã
separatis; sed quã *conjunctis* ac *cœnitis*, in *statu Collegiali Maje-*
statico. Ad Obj. (2) quod omninò inesse subjectis pluribus
possit, si non *dissectione sui in partes*, aut *distributione in*
subjecta; per *κοινωνία* tamen inter subjecta *conjunctim* sumpta
& *civiliter cœnita*. Ad Obj. (3) esse *fall. ex equivocatione*.
Quamquam enim Optimates quoad *nomen*, dicantur vulgò
Domini; quoad *rem ipsam* tamen non nisi *unius Domini loco* sũt,
nec nisi *una numero* ipsorum potestas, idemque imperium.
Quatenus enim *divisim* sumpti atque *pluraliter*, summam po-
testatem non habent: ideoque *re ipsa, pluraliter*, Domini dici
non possunt. Ad Obj. (4) & quid ad *maj.* quod à *diviso* ad *in-*
divisum procedat, *diversosq;* Optimatum *status* confundat. Lo-
quendum de Optimatibus omnibus *conjunctim* sumptis, *collegi-*
aliter, secundum *primævam electionem*. Ad Obj. (5) per *inversi-*
onem; quia enim *equali* auctoritate gubernaculo præsident,
ergò communis iis Majestas *equaliter* est, commune guberna-
culum; periret aliàs *equalitas*, si non *unius* summæ potestatis
duraret *communitas*. Jam quia omnium *eadem potestas*, quia
unum & idem omnium gubernaculum, ideo & omnium *equa-*
litas eadem; omnium scil. Optimatum, inter sese, ratione *status*
Oligarchici, non in respectu ad *inferiores, subditos*, quibus utiq;
non sunt *equales*, sed *superiores*. Hinc *contradictio vera* nõ est: *E-*
qualitas datur in Optimatibus *absolutè* spectatis, ratione *Colle-*
gii Majestatici; in iis tamen & *summitas*, sive *τὸ κρείον* datur, a-
deoque & *inequalitas, relatè*, ratione *obtemperantium*; diversi
status, diversi respectus. De ceteris in conflictu.

Thesis X.

Ad Oligarchici Imperii existentiam pauciores, ad Democratici verò plures, imò omnes, requiruntur, ac proindè magna inter Oligarchiam & Democratiam differentia est.

ἔξ ἧτος,

Hujus requisiti ratio patet ex utriusq; *forme* tum *verbali* *appellatione*, tum *formali constitutione*. Oligarchicum enim imperium in Ἐβδλίχης, Democraticum verò in Ἐδημο. Utrumque ratione *electionis* quidem à solo DEO, sed ratione *acceptationis* ab electione seu *partitià conventione*, nec non ratione *forme*, summum & absolutum jus; ratione *materie* in totam civitatem subjectam; ratione *finis*, in salutem universam; ideoq; & ratione *exercitij*, jure tum *divino*, tum *naturali*, tum *gentium*, tum etiam *civili* quandoque restrictum & limitatum; sed ratione *subjecti* seu *existentiæ* illic terminatur in *quibusdam*, hinc in *omnibus*, *universim* non tantum, sed & *unitim* utrobique sumptis, videlicet in *statu principali* ac *imperativo*, cujus causa, secundum *primævam electionem*, facta *civilis ἐνωσις* ac *συνδεξις*, *conjunctio* & *cunitio* fuit. Dicimus autem *indefinitè* ad Oligarchiam requiri Imperantium pauciores, quoniam certum determinare numerum nec possumus nec debemus. Plato 30. viros selegit, non, uti *Arniseus Pol. c. 10.* putat, quòd plures prudentum inveniri inter cives dubitaverit; sed quòd tot inter circiter viros facilius, cum deliberatio instituitur, convenire soleat. Totidem in senatu suo Lacedæmones habuerunt; Sed tamen & ex paucioribus, & ex pluribus constitère Aristocratia nonnunquam. Ita Alb. Cranzius scribit; fuisse Saxones olim gubernatos à 12. Comitibus. Constat etiam, Thietmarcos præfecisse sibi 38. primores. Quibus an accensenda hodierna resp. Belgarum sit, uti *Arniseus l. c.* vult, non immerito

siro dubitamus, cum ibi paucissima *Statuum* personæ, non nisi *Ministri Provinciarum* sint, e. contra Provinciarum decreta, quicquam decernere vel efficere possint. Et huc pertinet notatu digna distinctio inter *Reipublicæ formam* & *gubernationem*. Fieri potest, ut *Reipublicæ forma essentialis* Oligarchica vel Democratica sit, licet *gubernatio* vel Monarchicè vel Aristocraticè fiat. Sed ut ad nostram redeamus thesin, notandum, Personarum ad *Oligarchicam summæ potestatis communionem*, concurrentium numerum, quoad *imū* tamen determinatum esse; licet non quoad *summum*. Ad *minimum* sufficit *duumviratus*, aut *triumviratus*. Objici autem ab iis, qui à nobis dissentiunt hinc, (1) solet: *Duumviratum* ac *triumviratum* pertinere ad *Monarchiam*, quia plures illi, duo vel tres, non sint sumendi *divisim*, sed *indivisim* pro *unâ personâ*, ut constat, verbi gratiâ, ex formulâ, quam adducit *Cuspinianus* in *Austr.*: *Wir Ludewich und Friderich bekennen/ daß wir uns &c. & porro, miteinander gleich als eine Person besitzen sollen und wollen &c.* Sed Resp. per *inversionem*: si enim plures illi ex pacto & *indivisim* imperant, fit *Polyarchia* reverà, cum à *ratione formali* ad *speciem* valeat consequentia. At si *Polyarchia* est, quomodo erit *Monarchia*? Sic & in *Aristocratiâ*, virorum 12. vel 30. *senatus civiliter* & *ratione potestatis*, habetur pro unâ personâ, quæ sit *πολύχειρ* & quasi *πολύπυξ*, verbo; pro uno subjecto *συνήτηρ*. Obj. 2. Dualitatē l. trinitatē illâ, nō pertinere simpliciter ad *subjecti Majestatici* constitutionem; sed assumi saltem unum atque alterum in *administrationis* consortium, ut *hæc* Aristocratica sit, *illud* tamen Monarchicum unice regimine Monarchicò maneat. R. (α) sic *æquivocè* dicitur *duumviratus* vel *triumviratus*, cum adsumpti plures illi non sint æquales cum adsumente, nec in *eodem principali seu Majestatico statu*. (β) sed, quid si illi adsumpti non fateantur, se adsumentis *ministros* tantum esse; quin potius (γ) unanimiter dicant, quod ambo & omnes ipsi tres, *conjunctim & equaliter*, ad instar *unius personæ* ad regnum electi, de jure, ac confirmati sint? Ad ipsummet igitur *subjectum Majestaticum* plures illi pertinebunt, ob *realem* nimirum

TNS

ἢ ἡ Ἐξολογία νομωρία. Sed excipiunt, (1) quidam ex Histori-
cis tamen Monarchiam appellant. Resp. à *Pbraseologia* Hi-
storiarum ad Politicorum *ἀρετῆς* & veritatem, non valet
consequentia, Liberiùs illi quandoq̄ve loquuntur, *vulgariter*
& prout extrinsecè res apparet, Exc. (2) Fuisse Tiberium Au-
gusto *Collegam imperii*: Tacitus *annal. 1. c. 3.* duumviratum pro-
indè, in Republicâ tamen Monarchicâ. Resp. (1) fuit colle-
ga, *secundum quid*, in *administrando*; ideoq̄; duumviratus *im-*
propriè sic dictus. (2) Declinabat tùm temporis Augusti regimè
in Successorem; *illuc cuncta vergere*, *ib.* Factum ergò *per acci-*
dens. Vide Dn. D Jac. Martini Pol. p. 338.

Thesis XI.

Oligarchia inter simplicis Reipublice status optimus non est.

ἐκ τῆς 15.

Politici variè hâc de thesi disputant: *Monarchia* nonnulli
attribuunt palmam, quomodo Tarquinius ad Porfennam di-
xisse Livius fert lib. 2. *Regnum esse rem inter Deos hominesque
pulcherrimam*. Quidam verò ejectis Regibus *Democratiam* eli-
gunt, *Aristocraticè* temperatam. At utiq̄ue præferenda est
Monarchia ipsi etiam *Democratia*, & Rebus publicis omnibus, tū
propter *consultationem*, quæ nullibi tutior aut facilior; tū
propter *expeditionem*, quæ nulli celerior aut constantior; tū
propter *administrationem*, quæ nullibi simplicior aut efficacior;
quæ utiq̄ue tria commoda, suspectis aliis incommoditatibus
vehementer præpollent. Quanquam itaq̄ue & *Oligarchia* sit
præferenda *Democratia*, ob ipsa illa momenta tria; postponen-
da tamen est *Monarchia*. Ibi enim difficilior consensus, quàm
hîc, ideoq̄ue & expeditio tardior & inconstantior, quàm *hîc*;
administratio quoq̄ue confusior, quàm *hîc*, cujus rei *caussa* ex
natura subjecti Majestatici fluit. Hoc enim quò est simplicius,
eò præstantius; quo magis compositum, eò infirmius. Ideò
bona Democratia, melior Oligarchia, optima Monarchia. Sicut
& Ma

& Majestas ipsa existit quidem in *Democratia*, sed splendet magis in *Oligarchia*, maxime verò in *Monarchia*.

Thesis XII.

Jus Imperandi Oligarchi sibi arrogat non tantum propter divitias, nobilitatem, & potentiam; sed etiam propter virtutem.

ex Jeros.

Non hic absolutè spectatur *JUS imperandi*, sed ratione moralis causæ, quamobrem his, & non subjectis aliis, illud sit permittendum. Non in respectu ad *administrationem*; sic enim jus imperandi ex *Majestate* concessa est; verum in respectu ad *electionem*, seu *personarum designationem*, cujus norma non tantum *Opulentia*, vel *Nobilitas*, vel *potentia*, sed etiam, atque cumprimis, *virtus* esse debet. Non enim sequitur, hi ipsi sunt nobilitate, divitiis atq; potentiâ cæteris superiores, ergo sunt simpliciter & absolutè superiores, E. & jure sibi solis in alios vendicant imperium. Fieri enim quàm maxime potest, ut, qui in *Oligarchia* divitiis ac nobilitate sunt superiores, *virtute* tamen cæteris longè sint inferiores, ideoque deinceps quoque plerique mali fiant *judices* ac *Magistratus*. *Potentiam* enim & *aptitudinem* præsupponit *actus*. Jam verò dubium nullum est, quin ad bonum justumque regimen *virtus* tum *moralis*, tum *intellectualis*, tum *civilis*, licet non semper in summo gradu, tanquam *adminicula certa* prærequirantur. Horum ex defectu, ecquid sperari aliud potest, quàm *vitiosum* regimen? Et quanquam *divitiæ* dent nervum rerum gerendarum: *Nobilitas* quoque det *autoritatem*; *Potentia*q; *timorem* ac *submissionem*; *defectum* tamen *virtutis* non implent, nec ejus *effectum* producere possunt: quin imò sæpius *certamina potentum* excitant, & *avaritiam magistratum*, *invalido legum auxilio*, qua *vi ambitu*, postremo *pecuniâ turbantur*, ut celebre exemplum pro-

C

stas

ori-
Hi-
let-
riter
Au-
pro-
olle-
s im-
gimè
acci-

atus

anulli
m di-
es que
m eli-
da est
ous, tū
tūm
; tūm
acior;
atibus
ia sit
ponene
quàm
m hie;
ussa ex
olicus,
Ideò
Sicut
& Ma-



fiat in Tac. ann. 1, 2. Quod itaque *virtus* terminus & funda-
 mentum *Aristocratiae* reverà sit, probo (1) ex *appellatione*. Dici-
 tur enim *Aristocratia*: ἀριστοῦ verò *optimum* notat, & *virtus* ἀ-
 ριστοῦ est, ergò & *optimò* isto fundamine *Aristocratia* nitatur.
 Cui enim competit nomen, eidem & res debet inesse. (2) ex *A-*
ristotelis attestatione l. 3. Eth. c. 4. ubi expressè dicit: *virtus vera*
mensura & regula est, secundum quam omnium rerum, maximè
verò actionum humanarum bonitas & perfectio aestimanda est. (3)
 Ex *Aristocratiae constitutione*. Licet enim ad summam virtutis
 eminentiam descendere vix liceat, ut *absolutè perfectam* *Ari-*
stocratiam nobis promittere possimus; secundum aliquem
 tamen *gradum* *Aristocratiae* debet inesse *virtus*, ut ejus regimè
 optimi κατ' ἄριστον efficiant. Posito enim *regimine corru-*
pto, *Aristocratia* non erit, nisi *equivocè*. (4) ex *Reipublicae in-*
tentione: quia *virtus* plurimum confert, immò potissimum
medium est ad consequendum principalem civitatis finem,
beatitudinem, tum moralem, tum civilem. (5) *imperantium*
conditione. Imperium enim omne datum divinitus est ad
exercitium justum, salutemque hominum; ideò & hìc dicitur
 penes *Optimates* consistere. *Optimates* autem non illi sunt,
 qui contributiones & alia durioris conditionis onera subditis
 imponere, aut pessimè luxuriari & corporis tantum sui ratio-
 nem habere; vel etiam *fraudibus, dolis aliisque arcanis illegiti-*
anis exuere subditos suos norunt; sed qui *virtute, tum morali,*
tum civili (hìc enim concurrunt *materialiter*) gaudent, ideoque
actiones, tum Ethicè, tum Politicè bonas, tanquam viri & cives
boni, producere possunt, in *DEI* gloriam & *proximi* salutem.
 Concedere tamen haud *Hornio* vellem, posse *Collegium hoc Oli-*
garchicum, si delinquat contra Rempublicam, puniri à subditis,
ac morte adfici. Magistratus enim reverà sunt, etiamsi *mali &*
σκληροί, quibus resistere *subditi* vi, non magis, quàm *Tyrannis*
 in *Monarchià* possunt. Non erit *Oligarchia*, si in illos *Optima-*
tes jus V. ac N. habuerit populus. Et ejus κτήσιον quò jure proba-
 bit hic, ut κτήσιον excuset in *conscientiæ* forò evidenter?

Thesis

Thesis XIII.

Summa Potestas permittenda & hominibus & legibus est.

ἐκ θεοῦ.

Summum in Civitate *imperium* si faustum felixque consequi *regimen* debeat, simpliciter neque solis *legum* vinculis, neque soli *hominum* arbitrio, sed utrisque simul concedendum est, *primario* quidem & quoad *majora*, legibus; deinde verò & *hominibus*, virtute & prudentia excellentibus, cum primis in *minoribus*, & iis rebus & casibus, de quibus in legibus nihil certi definiiri potest. Quod autem non *solis legibus* summæ potestatis exercitium tribuendum sit, probamus (1) quia interdum leges quædam malæ sunt, & iniquæ; aut etiam per accidens & ob certas circumstantias, tales fieri possunt; hinc *æquitate* opus *hominumque* iudicio. (2) Quia leges, quod ad ipsa verba attinet, nonnunquam vel obscuræ vel ambiguæ sunt: vel nimis duræ aut rigidæ, ideoque iterum aliquam requirunt æquitatē, seu benignam virorum prudentium bonorumque interpretatiōnem. Quinimò (3) cum maxima sit *prudentia*, discernere omnes circumstantias, & moderari cuncta salubriter; *temeritas* certè insignis foret, ad *leges* aut *pacta* immutabiliter ac *simpliciter* alligare. Hinc *tantò difficilior regimen, quantò pluribus legibus seu pactis adstrictum*, belli tempore cum primis. Quod autem nec *solis hominibus* concedenda imperii administratio sit, liquet ex eo, quòd homines obnoxii variis affectibus & imbecillitatibus sint, ut, quid verum rectumque aut bonum, aut intelligere, aut si intelligant, eligere semper non possint: & propterea in iudicando, sententiisque dicendis, sæpissimè fallantur, & à verò iustoque aberrant. Quamobrem & hinc, paucis Optimatibus, concedendis imperium non *absolutè*, sed *limitatè*, neque tamen *adstrictissimè*, ne agere non possint; sed ne agere omnia pro lubitu possint: *καὶ νόμον καὶ λόγον.*

TANTUM
TRIUNI DEO GLORIA.

Paucorum quid sit conjuncta potentia rerum,
Inq; suos cives sceptrâ, SYBURGE, refers,
Æquior hosce tuos nifus fortuna secundet,
Ut labor ingenti fœnore reddat opes.

benevolentia^e contestandæ causâ
hæc appof.

Michael Fridericus Ledererus,

U. J. D. & P. P.

Ad Humanisf. Dn. Respondentem.

Qui cathedram scandit nostram, discitq; fre-
quenter,

Perpetuo nobis carmine dignus erit.

Nunc vice conscendis prima; vice scande secundâ,

Ut mea Musa tibi disticha grata canat.

Michael Wendelerus, Philos. &

Theol. D., hujus P. P. Extraordi-

narius & Moralis Philoso-

phiæ Ordinarius.

Ad florentissimum DN. AUCTOREM,

Ad finem dilectissimum.

Numquid & in quosdam conjunctim summa Potestas
Conferri, pacto sic moderante, queat;

Qualis & ex illo nascatur civicus ordo,

Præsenti libro, doctè SYBURGE, doces.

Enthea flamma micat, mox pleno lumine solem

Et PATRIÆ & caris exhibitura suis.

Nam, quia certè indocta Themis, nisi juncta Sophia,

Spem captam Sophia dat mihi juncta Themis.

Imq; f.

PRÆSES.

Aug. VI 215

ULB Halle
001 923 099


3



TA → OL

VD 17 Z





20 1666

1666

20

9

FELICITER!
DISPUTATIO POLITICA
DE

OLIGARCHIA,

Quam,

PRÆSIDE

PRÆEXIMIO, CLARISSIMO QVE
VIRO,

DN. M. JACOBO WÄCHTLERO

Amplisf. Philosoph. Facult. Adjuncto

dignissimo, Fautore, Præceptore atq;
Ad sine suo plurimum honorando,

In Auditorio Majori,

ad diem VII. Februarii

Publicæ eruditorum disquisitioni submittit

AUCTOR & RESPONDENS,

ALBERTUS FRIDERICUS à *Synborg!*

Magdeburgensis.

Wittenberga, Typis Johannis Haken. 1666.

